Glandularum mesenterii actio in chylum retardativa ... / praeside Joanne Georgio du Vernoi ... An. MDCCXXV. ... autor & respondens Jo. Georg. Gmelin.

#### **Contributors**

Duvernoy, Johann Georg, 1691-1759. Gmelin, Johann Georg, 1709-1755.

#### **Publication/Creation**

Tubingae : Literis Hiobi Franckii, [1725]

#### **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/sadvd64q

#### License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org Q. D. B. V.

# GLANDULARUM MESENTERII ACTIO IN CHYLUM RETARDATIVA.

Dissertatione hâc Anatomico-Physiologica

PRÆSIDE

## JOANNE GEORGIO DU VERNOI Med. D. ejusdemque P. P.

Add. 26. Sept. An. MDCCXXV, H. L. Q. C.

defendet

JO. GEORG. GMELIN, Tubingensis,

TUBING Æ,

Literis HIOBI FRANCKII,

# PARENTI OPTIMO

Chymica Pharmaceuticaque Doctrina CLARO,

# JO. GEORGIO GMELIN.

Ob infinita à teneris sibi collata beneficia

Has Studiorum suorum Primitias


cum voto omnigenæ prosperitatis & benedictionis
Divinæ apprecatione calidissima

OTA KODDENKIHALIMATI . CS

D. D. D.

Filius obsequiosissimus

JO. GEORG, GMELIN.



# Q. D. B. V.

Hymiæ L. B. cui à teneris addictus sum, Academicas hasce Primitias addicere parabam, institutâ scil. Fontium Soteriorum Ducatûs Würtenbergici probatione, secundum Ductum Ill. D. D.

HIERNE, Archiatri Suecici, Optimique Parentis, Laboribus tunc temporis Chymico docimasticis Regiis præsecti, primique, (quod citra jactationis aleam dixerim,) hujus methodi promulgatoris. Quod institutum eò magis convenire videbatur, quod hæc methodus neque à Nostris neque ab aliis pro Rei dignitate hactenus prosecuta sit; Intellige, Aquarum mineralium per Reagentia examen, ceu optima arcanorum Naturæ clavis, non specialis tantum, sed universalissima. Nobile pensum, fateor, nisi intra Dissertatiunculæ cancellosid reduci posse tantum non impossibile visum esset; Ad aliam itaque occasionem D. V. tantæ molis opus remittens, ad pensum Anatomicum provocor.

Placuit inter multa præsens argumentum, non adeo pervulgatum, & tralatitium, uti fortè nonnen o cogitabit, neq; ita insolens, ut pro novo quodam in Gelaxia microcosmica sydere dere agnoscam: Id enim satis pervulgatum & notorium haud dixerim, de cujus existentià, appellationibus, externà essigie, numero, pon dere, colore, aliisque accidentibus certò constat, vel, uti in Adagio est, in Cute perspectum est: Natura verò & officii nulla notio certa, evidens & perspicua habetur, cujus nulla demonstratio existit, de quo etiam diversè sentiunt Viri Doctissimi &c.

Glandularum Mesenterii nescio, que obscuritas, & silentium apud Anatomicos Veteresque Modernosque, etsi præ aliis evidentiores & magis obviæ fint: Unde apud Cl. WHAR-TONUM, choream glandularum eas ducere laudo qui-dem, quanquam à dignitate hæc ratio haud desumta sit, uti ipse declarat: Quod tamen sacere æquum erat, quia primum chylo hospitium & commeatum suppeditant. Harum distincta desinitio apud Autores adeò desideratur, ut quod de Glandulis in genere intelligunt, id de Mesaraicis promiscuè intelligi velint, & vice versa, mutato saltem nomine, licet Natura polydædala contrarium digito quasi ostendere videatur in glandulis conglomeratis, in quibus de una minime affirmare licet, quod de altera. THOM. WHAR-TONUS solà similitudine cum glandulis attentà, glandularum titulo hasce ornat, factaque divisione omnium glandularum in excretorias, reductorias, & nutritias, ad ultimas reducit: Existimo, inquit, glandulas Mesenterii non tam alterations chyli inservire, quam separationi purioris ac mitioris succe ab eodem, in partium nervosarum alimentum, & restitutioni reliquiarum ejusdem magis spirituosarum in commune rece-ptaculum. vid. WHARTON. Adenograph. cap. X.

Missa triplici Glandularum divisione earumque usu, in spe-

fpecie, nutritiarum, cujus refutatio vid. apud IOHNIUM. Dico, sive aliquid recipiat chylus in glandulis mesenterii, sive aliquid amittat, alterari chylus necessario debebit; Et quanquam nullo modo in colore aut substantia alteratus conspicitur, quod tamen Cl. BOHNIO, RUYSCHIO, BOERHA-VIOdisplicet, Hoctantum sequitur, alterarionem sensibus haud esse manifestam, sed subtilem, uti res postulat; Erit tamen vera alteratio, qualiscunque dein illa sit, sive sensibilis, sive insensibilis, Sed quod præcipuum est, undenam constat, chylum glandulas mesenterii verè ingredi? Incertum enim est, præsertim tempore, quo scribebat WHARTONUS, an vasa Lactea hasce subeant, an verò superficietenus tantum eas transcendant Dices: ex cremore Lacteo, qui exprimitur, id cognosci. Sed Thymo, glandulis lumbaribus aliisque id commune est, ad quas nulla vasa Lactea. Pluris facio observationem à WHARTONO sactam, ex qua commercium chyli cum glandulis nostris evidenter apparet, & Vtinam! Vir Cl. hac observatione contra hanc suspicionem se munivisset.

Inter Scriptores, chyli transitum per glandulas mesenterii in dubium vocantes, unus nominandus est PETRUS DEMARCHETTIS Patavinus, qui non in glandulis mesenterii terminari vasa Lactea, sed has tantum leviter contingere, plexuique nerveo ita implicari, atque submergi contendit, ut eorum ulteriores progressus persequi & evolvere haud liceat, plexu quamvis discisso chylus emanet. &c.

Quantum MALPIGHIO debent glandulæ! tam Nostræ, quam omnes simul sumtæ, in universo Corpore, seu earum structuram spectes, seu earum munia. vid. Ejus Epistol. ad Illustriss. Societat. Anglic. Exterius, inquit, membrana val-

D 3

de densa investiuntur, que vasorum sanguineerum lateralibus ramis irrigatur. Sub hac carnea fibra circulariter ducta locantur, qua horizontaliter glandula corpus penetrant. Membrana haculterius quam plurimis frequenter protuberat minimis tuberculis rotundis, ex contentis intra glandulam turgentibus Corporibus. Fa-Età incisione diuturnaque ejusdem maceratione in aqua communi, diligenti indagine hec occurrunt. 1.mò ab ambiente membrana carnea fibra per transversum ducta emergunt; Ha autem non parallela ducuntur, sed obliquata sibi occurrunt & lacertorum inosculatione vel saltem implicatione multiplices & pene innumeras retis areas efformant, que subrotunde sunt, gunndoque angulares & magnitudine dispares. 2.do. In medio cujuscunque area locatur loculus seu folliculus glandulosus, qui rotunda vel ovali constat formà & ex majori minorive contenti corporis copia amplior vel contractior redditur, membrana candida molli constans, que evacuato humore in se ipsam collabitur, & si secetur, concava est, & persimilis glandulis Lienis. Interdum gemini loculi vel tres in eadem area continentur. Appenduntur loculi vasis sanguineis supra fibrarum carnearum fasciculos excurrentibus, & areas efformantibus, quare varia strata hujusmodi arearum & spatiorum superpositorum glandula Corpus integrant. 3.tiò Sanguinea vasa, arteria sc. & vena, descriptas glandulas intrant, multiplici frequenter ramo, ipsorum latus subeunte, & in quibusdam grandioribus glandulis Trachea harentibus vasa ingrediuntur ventrem, ubi glandularum opposita extremitates reflexa & invicem approximata sinum efformant. Vasa bac subingressa rete efficient, in signioribus ramis & extremis propaginibus in loculos & parietes arearum desinere videntur. 4 to Nervi quoque multiplices & interdum unus subintrat glandula Corpus, & licet in quibusdam glandulis interius reticularis textura ad modum rara membrane apparent, filamenta tamen illa non omnia sunt nervosa, sed frequenfrequenter sunt portiones carnearum sibrarum gracilium & laciniata membrana, que exterius universam ambit glandulam. 5.td Expositi folliculi in statu natura humore quodam cinereo & parum diaphano replentur. 6.tò Vasa appenduntur lymphatica, que cum ipsarum substantia intimum commercium habent, ita ut non dubitem, asserere, quamlibet conglobatam glandulam lymphaticis donari. Horum progressum, seque tentamina ostendunt; Sc. immissum atramentum in vas lymphaticum insigne in Mesocolo, glandulas percurrit in Mesenterii centro locatas totam glandularum substantiam aliè non solum insiciens, sed ad cisternam usque erumpens & C. Tandem dubitat, an natura in determinatis & frequentibus locis appendat lymphaticis intermedias has glandulas, ut novà addità materià & impulsu felicior succedat motus lympha usque ad receptaculum Chyli. Hxc Celeberrimus Vir.

Esto, hanc Glandularum texturam intimam ita esse, uti à tanto Viro delineata est, (ex quo hoc paradoxon flueret, glandulas conglobatas majores conglomeratis malè contradistingui, quia in utroque genere plurima vesicula vasaque excretiora disponuntur, adeoque sensu stricto sola vesicula simplicissima conglobata essent e. g. oris, qua à STENONE conglomerata vocantur, vel cutis, de quibus tamen dubitat RUY. SCHIUS Advers. Decad I. p. 12. an receptacula potius quam glandula vocanda sint.) Quicquid sit, hoc semper dubium vexat, an hac descriptio glandulis mesenterii, de quibus nunc agitur, tutò applicari possit. Mitto coloris, soliditatis, vasorumque diversitatem, ex qua subinde tum structura, tum officii diversitas rectè arguitur, uti supra exemplo glandularum conglomeratarum indicavimus. Unde, quasso, officium secretorium glandularum mesentericarum constat, novam que aldi Lympha aut chylo transcunti materiam? An ex vasorum sanguineorum

præsentia? Ad nutritionem verò non ad secretionem destinari videntur. An ex ortu lymphaticorum? Probandum prius est, terminum à quo immediatum esse glandulas vid. STE-NO, NUCKIUS, DEIDIER, BIANCHI. Vasa insuper Lymphatica in mesenterio à Lacteis diversa nunquam visa esse contra MANGETTUM recens MORGAGNI opinio est, quâ observatione, organi secretorii idea hactenus, quantum scilicet propositionem vasorum lymphaticorum attinet, tollitur. Quomodo etiam secretio & mixtio lymphæ & chyli siet, ubi nulla statuitur cavitas? At cellulæ adsunt: In his verò pro ambobus liquoribus deficit fortè spatium sufficiens, aut enim adveniente chylo plenz sunt, aut vacuz: Si plenz sunt, eo ipso chylus excluditur, & mixtio nulla contingit; Si vacuz, chylus quidem potest recipi, sed ob brevem suam moram lymphz secretionem expectare nequit. An denique prædictæ secretionis & mixtionis tanta necessitas est seu ad constitutionem perfectionemque chyliseu ad motum ipsius, ut hos desiciente neutrum feliciter procedat? Quoad primum, probandum est nondum absolutam esse chylificationem in intestinis. Quoad alterum, licet motum chyli in glandulis alterari concedam, id tamen citra lymphæ permixtionem sieri probabile est, uti inferius ostendam, nec video, cur lympha absque glandulis permisceri chylo non posset, uti in cisterna & ductu thoracico. Summa dein animadversione dignum esse puto, glandulas nostras, non in mesenterii circumferentia, sed in centro locari: Id verò sine consilio molitam esse naturam non fas est credere.

FRANCISCI SYLVII de le BOE de structura & usu glandularum sententia propter Doctissimi Viri candorem huc locum meretur. Glandularum, inquit, conglobatarum constitutionem non sumus hactenus assecuti. MALPIGHIO tamen accessisse cum discipulo REGNERO de GRAAFF, non obscurè hisce verbis perspicuum est. Conglobata, inquit, Glandula, vasis lymphaticis donata sunt, qua ad communem ductum Thoracicum sive volvulum ejus superiorem in canibus prasertim conspicuum, liquorem in se praparatum, vel aliunde acceptum propellunt. Laudamus plurimumque astimamus observationem excepto STENONE, à paucis animadversam sc. quod ordinaria natura lege in Glandulis conglobatis media cavitas invenitur.

Neque MALPIGHIO adversari videntur magna illa in Anatome Lumina, NICOL. STENO, FRIDER. RUY-SCHIUS, GODOFRED. BERGERUS, LAURENT. HEISTERUS, HERMAN. BOERHAVIUS, PHILIPP. VERHEYENIUS, apud quem occasione Glandularum Mesenterii problema illud vexatissimum extat, an scilicet materia urinosa forte compendiosiori & breviori via ex hisce glandulis immediate ad Renes, Ureterem & vesicam fluat? Cui dubitationi uti rectè, vasorum devehentium existentiam dubiam objicit, ita contra existentiam horum vasorum probabilem faciunt suppressiones urinæ renales: Cur enim stante hâc vasorum existentia, urina nulla profluit, cum nihil obstet. &c.

ANTONIO NUCKIO, si ei credendum, aliter Glandularum mesentericarum fabrica, oblata & verius interpretata est. Sciendi cupidus, inquit, qualia inter lactea & glandulas dictas esset commercium, vasculum aliquod ex Intestino exiens plurimis valvulis foras intro spectantibus conspicuum per tubulum alligatum nostrum injecimus Mercurium. Prater omnem expectationem, vidimus ab injecto mercuriali lacteum vas non tantum repleri, sed glandulam in quam recta via tendebat aliam siguram & superficiem

ficiem aliam inde acquirere, ex planiformi quippe, in magis glo-bosam, ex aquali & lavi in asperam & plurimis tuberosis capitulis rotundis donatam abire. A quo tempore, certissimis ratiociniis conclusi, glandulas mesenterii non constituere vasorum complicationem (uti Malpighio placet.) Experimentis porrò flatu & exficcatione institutis hac fabrica oblata est. Prater membranam ambientem (NB. superius duas agnoscit) fibrosa textura offertur, ex diversis sibrarum, complicationibus exterioribus interioribusque. Exteriores immediate sub tunica in vestiente locate in cellulas hexagonas, pentagonas &c. efformatæ, in quibus (uccus lymphaticus continetur. Relique fibre ( sc. interiores) ad centrum usque diversas series non componunt, alia majores, alia minores, alia longiores, quadam breviores, ubivis firmissime inter se coharentes muscumque arboreum fere reprasentantes, ita ut non male muscosa vocari possint &c. Videns porrò glandulas mesenterii lactea obtinere, inferentia & efferentia, & pari modo aliarum partium glandulas lymphatica habere & adducentia & abducentia, cogitavi, lymphatica illa glandularum excretoria esse non posse, quod aliunde originem ducant, & glandula di-Etis lymphaticis nonnnist transitum concedant. Non tamen frustraneus censendus est lympha per hasse glandulas transitus, sed credendum potius, Lympham (chylum) eo duplici modo subtiliorem reddi 1. quatenus particula ejus arctius adhuc unita in muscosa illa glandularum substantia disuniantur, & in plures particulas minores abeunt. 2. à spiritibus copiosius per nervos in glandulas affluentibus sanguini reaffundendis.

Quoad primum usum, adstipulantem habet celeberrimum LANCISIUM, qui glandulas tanquam corcula considerat, in quibus tamen à se conspectam suisse dubito systalticam illam glandularum vim tantoperè celebratam. Alteri, Cl. BRUN-NERUS sidem præstat, inquiens: Nullà hic secretione opus videtur,

detur, aut humorum segregatione: Nec enim diversi existunt, hic diversa, qui à se invicem instituunt, itinera, humores, sed quem per vas afferens parte convexarecipiunt, vel chylum vel lympham, eandem aut forte parum mutatam spiritibus per nervos affuentibus delibutam reddunt per vas deferens, parte sima oriundum, adeò ut glandula conglobata hoc nomine potius praparatio-

nis quam seretionis organa esse videantur. &c.

Sibi verò parum constare viderur NUCKIUS, dum duas modò, modò unicam membranam statuit, dum modò usum glandularum ad transitum lymphaticorum restringit, mox verò ad elaborationem, nescio quam, seu lymphæ seu chyli per spiritus animales præstandam extendit, sine quâ frustraneus esset lymphæ transitus. Quasi verd absque isto nervei succi depluvio alius usus latere non posset NUCKIO ignoratus. Utinam! nervorum cum glandulis commercium intimius exposuisset, eò magis, quod MAGNUS MALPIGHIUS seriò admoneat, ne quis fibras pro nervis forte accipiat. Utinam scrupulum solvisset ? an extrema fibrarum patens orificium habeant, ut evomant spiritus animales, an verò absque ullo lumine cœca desinant, veluti sunt cœca intestinula, quod certe, uti difficillimum est probare, ita minime necessarium est, ad intelligendam nervorum in glandulis functionem, quæ, admissa extremitate cœcâ, majori facilitate explicatur, inprimis si spiritum animalem seu fluidum nerveum statuas, quam extremo nervorum aperto. Dato enim nervorum hiatu, cum indefinenter fluidum nerveum currit, indefinenter avolaret.

Postremò CL. BOHNII Judicium subjungere haud abs re erit. Ambiguum est, inquit, cujus gratia & quem in sinem decubitus & secessus chyli in glandulis contingat; Probabile tamen est, ut chylo aliquid in his addatur, vel dematur, quare posterius assumens sta-

B 2

tuit, in mesenterii glandulis perinde ac in reliquis conglobatis fieri pracipitationem pinguiorum particularum, probatque id ex eo, quod chylus in secundi generis vasis magis aqueus & diaphanus observetur.

Quorsum verò ista descecatio? post quam in Intestinis ceu in filtro depuratorio satis completa est. Qualis præcipitatio, ubi nullum præcipitans, ubi ea est humoris velocitas, ut ni-Au oculi citius, visui sese subripiat? Quæ denique consequentia à colore magis aqueo & diaphano? Cujus phœnomeni, licet nondum satis probati, ratio fortasse est, chyli in ampliora vasa fluentis major rarefactio, consequenter nova luminis reflexio, propter globulos chyli magis divulsos &c.

Prætermitto brevitatis gratia opiniones alias minus celebres, e. gr. PETRI DIONYSII, BACKII, DEUSINGH & alio-rum, ne Lectorem exanimare videar.

Ex hactenus recensitis opinionibus & judiciis Celeberrimorum Virorum apparet, quo jure de Glandularum Mesaraicarum obscuritate conquestus sim, in tanta opinionum discordia, dum alii aliquid erogari Chylo hasce glandulas permeanti, vel hie vel alibi elaboratum, contendunt, scilicet MALPIGHIUS, NUCKIUS, STENO, SYLVIUS, GRAF. FIUS, RUYSCHIUS, HEISTERUS, VERHEYENIUS; Alii depauperari potius, uti sunt WHARTONUS, BOH-NIUS &c. Sed quoniam aliarum sententiarum eversione propria non stabilitur, tria maxime postulari video i.Glandularum Mesaraicarum structura. 2. Chyli cum hisce commercium. 3. Actio, à duobus prioribus pendens. Quoad primum, vidi in Glandulis Mesenterii, inprimis maxima, quæ vulgo Pancreas Asellii vocatur, vidi, inquam, & mecum alii, sola maceratione in aqua tepida, Rete illud pulcherrimum, Malpighianum, corpus glandularum integrans, sed vidi adeò perspicue, ut vix oculis meis crederem, & quidem, ut paucis me expediam, jucundum erat cernere sub involucro lavi & minime aspero miram implicationem sibrarum elasticarum, tensarum, plus minus crassiorum, indeque esformatam cellularum seu loculorum structuram cum spatiis intermediis variae forma & magnitudinis, uti in exsiccato Liene conspicuum est. Propter albedinem, quâ ceu pigmento insecti erant loculi, aut quod potius non existant, Folliculi MALPIG-HII minime oblati sunt. In centro cavitas singularis cum liquore suidissimo, odoris & saporis experte, qualem Animal insigni copia assumserat, quo etiam vasa lactea turgebant, penna anserina magnitudinem inter glandulas & cisternam aquantia, occurrit. De hâc autem cavitate seu sinu post NIC. STENO & REGNER. GRAAFFIUM distincti, uti & de lacteo succo in hisce scatente, invenio nihil apud autores, quod secisse ROLFINGIUM Dissertationib. academic. p. 910. VESLINGIUM in Syntagmate, THOM. BARTHOLINUM Anatom, p. 99. video.

Vidi hâc ratione Chyli cum glandulis manifestum commercium, quod alterum erat postulatum. Quid verò ex hos commercio? An ad solum transitum Chyli? sine viatico, sine apparatu quocunque extraordinario, sine ulla ope, uti Celeberrimorum Virorum sententia est. Mihi certè, si dicere sas est, ita visum est, dum video, non speciosa sed simplicissima Naturam sectari, hisque operationes edere maximè miras & solennes, ultra humani ingenii captum, uti contingit in musculis. Solemus, inquit HARVÆUS Exercitat. de Generat. animal. p. m. 504. Solemus rerum negligentes speciosa nomina venerari. Sanguis e. g. qui nobis pra manibus atque oculis est, nihil grande sonat: Ad spirituum verò co talidi innati nomina obstupescimus co. Similes hâc in re coquo Plautino in Pseudulo, qui contemtis vulgaribus condimentis suas

B 3

escas se cicilendro, polindro, sancaptide, hapacapside, catara-

Etria, condire gloriatur.

Itaque totum artificium Glandularum Mesenterii in hoc positum esse suspensione, uttutò convasetur chylus. Postquam enim, uti Cl. BRUNNERUS in suo Tractat. de Glandulis Duodeni, non absimili ritu, quo succus terra à radicibus arborum earumque poris, sine fermentatione, sine pracipitatione, sine Glandulis &c. vasa lactea subiit, ulteriori aut segregatione aut secretione opus non habet, necalia abhinc est intentio natura, quam ut ex vasis lacteis in vasa sanguinea transfundatur. In quo certe negotio nulla additione aut detractione opus est. Hinc dubitare sa est, an nostra Glandula istam Chyli transfusionem adjuvent, motum forte chyli alterando, uti in mechanicis cursus sui-

dorum alterari potest.

Sed cùm dupliciter motus liquidi alterari potest, per accelerationem aut retardationem, quæritur, quonam modo glandulæ opem chylo conferant, intendendo, an retardando cursum. Uterque enim modus naturæ consonus & ad circulum liquidorum maximè necessarius est, sc. modò impedire & frænare nimium raptum & impetum, modò accelerare & promovere pro variis partium indigentiis, uti passim in utero cerebro &c. evidens est. Videtur autem non tam stimulo, uti Cl. LANCISII sententia est, quàm fræno egere chylum, cujus sluiditas summa est, uti ex ejus subità evanescentià apparet: Cogita dein pulsum arteriarum comitum, intestinorum, diaphragmatis, musculorum abdominalium, perpetuam systolen atque diastolen, valvulas, aërem &c. adeo ut incitamento minimè opus esse videatur.

Equidem potius intendi lentum chyli gradum longumque iter, ex sequentibus observationibus confici videtur 1. nulla ratio subest probabilis, cur tam ambagioso itinere ad san-

guinea vasa devehatur, dum in vicinas venas mesenterii, hepatis, renis, exonerari posset. 2. Angustia & exilitas nec non numerus & ambitus prodigiosus lacteorum. 3. Cysternæ amplitudo, ob quam, ex strictiori alveo in longè ampliorem decidens chylus, multum celeritatis amittere necessium habet. uti ex mechanicis constat: Item lymphæ ceu viscidi liquoris occcursus & permixtio, denique ductus Thoracici situs verticalis cum fua valvula. &c.

Hæc omnia patienti oculo & mente pensitata, clarè indicare videntur, retardationem magis, quam accelerationem, in transfusione chyli à Natura intendi, quanquam de catero in motu chyli nulla visibilis remora compareat. Dum hæg agit provida Natura, egregiè impedit, quo minus vel incalescat chylus labemque inurat vasis subtilissimis, vel a Peows & nimis præcipitanter inundet massam sanguineam & perturbet. Actionem hanc glandularum mesenterii retardativam præter rationalem conjecturam inprimis confirmare videntur superius datæ observationes. Interim non negandum est, per accidens motum chyli promoveri posse vi systaltica texturæ fibrosæ glandularum, quando tardior liquidi motus aut collectio magna est. Quod patet exemplo vesicæ urinariæ, quæ postquam receptaculi munere defuncta est, stimulante

lotio contrahitur.

#### SOLI DEO GLORIA.

COROL-

### COROLL ARIA Chymico-Physica.

I. Caloris materiale est sulphur, à salibus contrariis in actum deductum.

II. Exinde patet, quomodo ab affusa aqua ad calcem vivam calor oriatur. Salia enim solvuntur, luctam incunt, sulphurique motum impertiunt.

III. Causa materialis montium ignivomorum est materia combustibilis, & quidem talis, quæ alluente aqua non extinguitur, sed potius alitur. Cui accedunt materiæ ignem quidem non concipientes, sed nihilominus slammam sustentantes.

IV. Calor quidam naturalis humidus omnia, quæcunque terra in se comprehendit, producit,

nutrit & conservat.

V. Spiritus vini oleo summè volatili, urinoso

sale atque acido constat.

VI. Corpora igne non immutantur, hinc etiami salia volatilia atque alcalia sixa in iis præexistunt.

VII. Arsenici natura potius ad alcalinam volatilem quam ad acidam vergit, id quod ex præcipitato albo Mercurii sublimati cum solutione arsenici producto, conjicere licet.

VIII. In Anatomia corporum methodus opti-

maest solutio & præcipitatio.